



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCLXXXIII. Ioannis Papae VIII. Ad VVillibertvm Archiepiscopvm Agrippinensem. Commendat eius vigilantiam, & presbyterum quemdam excommunicatum, nunc ipsius testimonio longa poenitentia ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

AD VVILLIBERTVM ARCHIEPISCOPVM  
AGRIPPINENSEM.

Commendat eius vigilantiam, & presbyterum quemdam excommunicatum, nunc ipsius testimonio longa pœnitentia purgatum, eius precibus commotus absoluit, & sacerdotali ministerio restituit. causam Gedeonis adulteri ei committit, vt sententiam canonicè ferat.

*Reuerendissimo & sanctissimo Vvilliberto archiepiscopo  
Agrippinensi.*

**A**LIMITATIS tuæ prudentiam sacerdotali vigilantia, pro  
Agregis dominici sibi commissi salute, atque de fauce  
hostis maligni, qui semper incautos ad æternæ mortis pro-  
funda pertrahere auide certat, liberatione, iuxta pascora-  
le magisterium reuerentiæ tuæ diuinitus delegatum, soli-  
citam fore, literis vestris inspectis luculenter agnoscentes  
laudamus, cum apostolicæ sedis priuilegium perspicaci  
mentis intuitu conseruando, hunc tuæ diœceseos presby-  
terum, nomine Tal, \* Ingeltrudæ Bosonis quondam comi-  
tis vxori torum coniugalem, contra diuinæ legis præcepta  
relinquenti. Et idcirco ab antecessore nostro beatæ me-  
morix papa Nicolao legitime excommunicatum impro-  
uide communicasse reperiens, sacra iam olim communio-  
ne priuasti. Quem scilicet, cum tuæ fidelis deuotionis at-  
testatione nostro præfulatui dirigens, professus es per an-  
nos vndecim illatam sibi excommunicationis sententiam  
humiliter sustinuisse: & quod ex pollutæ consortio femi-  
næ venenum attraxerat, longa pœnitentiæ satisfactione  
purgasse, a vinculo suæ obligationis vt absolueremus man-  
dasti. Nos vero misericordiæ intuitu, precibus tuis incli-  
nati, interni arbitrium iudicis sequentes, ab ipsius excom-  
municationis vinculo, si ita est, eum absoluimus: & om-  
ne officium vel ministerium sacerdotale, iuxta præceden-  
tem consuetudinem, iubemus solenniter, ac libere cum  
Domini semper timore peragere. Præterea de Gedeo-  
ne, cuius vxorem cum germano istius adulterium per-  
petrasse fateris, ex parte dubii existentes, vtrum verum



fit quod de hoc dicitur necne, dilectioni tuæ committimus, vt omni ex parte, diligentique cura, rei huius veritate comperta, quid super hoc excellentissimus doctor beatus Augustinus in libris de adulterinis coniugiis ad Pollentium dixerit; quidque beatus Innocentius papa vigesimo <sup>Epist. 2.</sup> sexto capitulo statuerit, relegens, secundum horum sanctionem ita diffinire procuret; quatenus animabus eorum per pœnitentiæ remedia subueniri possit, & corpora per tuæ sanctitatis prouidentiam secundum Deum in omnibus dirigantur.

## EPISTOLA CCLXXXIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD BARNIMERVM COMITEM, SACERDOTES, &c.

Ostendit sibi gratissimam fuisse eorum in sedem apostolicam obseruantiam. hortatur ad perseuerantiam. iubet legatos ad se mitti, quibus reuertentibus legatum suum se missurum pollicetur, cui ipsi fidelitatem iuxta ecclesiæ ritum promittant.

*Excellentissimo viro Barnimero glorioso comiti & dilecto filio nostro, atque omnibus religiosis sacerdotibus, & honorabilibus iudicibus, cunctoque populo pax, & gratia a Domino Iesu Christo.*

**A**VDITA per Theodosium venerabilem episcopum vtrum fide & deuotione, quam circa sedem beati Petri apostoli, & nostri pontificii vos habere cognoscimus, immensas Deo gratias referentes, magno gaudio sumus repleti; qui vos nunc ad tantam gratiam perducere, & inter oues suas connumerare dignatus est, secundum quod Dominus ipsi principi apostolorum commisit, dicens: *Si diligis me Simon Petre, pasce oues meas.* Vnde <sup>Ioan. 21.</sup> vestram fidelitatem, & Christianissimam deuotionem, his nostris apostolicis literis admonemus & exhortamur, vt sicut diuina inspiratione agere cœpistis, vsque ad finem perficere, & obseruare non prætermittatis: quatenus qui sub ala & regimine, atque defensione beati Petri apostoli, & nostra, toto conamine vos subdere, atque in eius seruitio perseuerare, quasi dilecti filii procurastis, apertius hoc ostendatis, atque impleatis, vt Dominus in euangelio dicit:

*Concil. Tom. 24.*

T t ij